

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Christus a cum fonte primo

Esuriuit Christus qui omnes pascit, sitiuit per quem causatur omnis potus, et qui spiritualiter panis est esuriencium fonsque sitiencium; ab itinere terrestri fatigatus est qui seipsum nobis uiam fecit in celum. Velut obmutuit et obsurduit coram conuiciantibus per quem mutus locutus est et surdus audiuit. Vincetus est qui de infirmitatum uinculis nos soluit; flagellatus est qui omnium flagella dolorum de hominum corporibus expulit; crucifixus est qui cruciatus nostros finiuit; mortuus est qui mortuos suscitauit. Sed et resurrexit nunquam moriturus ne ab illo quisquam sic discederet mortem contempnere quasi nusquam futurus.

Augustinus de catechizandis rudibus.

Esuriuit qui omnes pascit, sitiuit per quem creatur omnis potus, et qui spiritaliter panis est esuriencium fonsque sitiencium: ab itinere terrestri fatigatus est, qui se ipsum nobis uiam fecit in caelum: uelut obmutuit et obsurduit coram conuiciantibus, per quem mutus locutus est et surdus audiuit: uinctus est, qui de infirmitatum uinculis soluit: flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit: crucifixus est, qui cruciatus nostros finiuit: mortuus est, qui mortuos suscitauit. Sed et resurrexit numquam moriturus, ne ab illo quisquam sic discederet mortem contempnere, quasi numquam futurus.

Augustinus Hipponensis, *De catechizandis rudibus*, 22, 40 (CCSL 46, J. Bauer ed., p.165, ll.55-65).